ALIMENTA

RESPECTU

MEDICO-POLITICO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

AUCTORE

ANTONIO VICTOR,

MEDICINAE DOCTORE.

BUDAE,

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

In der Natur allerheiligstes Arsenale des Lebens
Tauche nicht schaedlich die Kunst ihre entweihete Hand.

De Alimentis in genere.

§. 1. Consumtione vitali organismus omni die perdit, resarciri ergo perditum debet. Impellimur ad hoc instinctu famis et sitis. Omnia quibus famae et siti satisfacimus, alimenta vocamus. Utut corpus haud pluribus rebus alatur, ut luce, aere, atmosphaera; nutrimenta tamen sola illa dicuntur, quae per os ingeruntur et sub nomine esculentorum et potulentorum veniunt. Ingeruntur autem ista vel cruda vel praeparata, et quidem absque ullo vel cum aliquo additamento. Quod additur condimentum dicitur. Tractatus igitur hic abibit in tres Sectiones, quarum prima aget de Esculentis et quidem e regno animali et vegetabili, secunda de Potulentis et quidem naturalibus et factitiis; tertia demum de Condimentis.

SECTIO I.

De esculentis.

CAPUT I.

De esculentis e regno animali.

§. 2. Victus animalis copiosissimus sumitur e quadrupedibus. Cultura domesticus factus est: bos, ovis, sus, capra. In casu necessitatis commedi possent: equus, asinus, camelus, canis, cattus, mures, glires. Quadrupeda fera sunt: lepus cuniculus, lutrae, castor, ursus, vulpes, erinaceus terrestris, hystris crystata, sciursus, mus marmota et aegyptiacus. Ut caro cumprimis animalium domesticorum sufficienti semper adsit quantitate, eorum cultura promovenda est, ideo de eorum bona alimentatione provideatur et morbi ab illis arceantur. Sed ut sana sit caro animalium domesticorum sequentia sunt observanda: non sumatur caro animalium nimis tenera, ingrata, parum nutriens. Hinc vitulus ante quartam septimanam non mactetur.

Non sumatur caro ab animali nimis vetulo, est enim insipida, exsuccida, dura et parum nutriens. Neque sumatur caro ex animali valde pingui vel macilento. Non mactetur animal tempore oestri venerei, nam odorem tum habet nauseosum, facile putrescit, difficulter digeritur. Animal ante mortem non divexetur per canes. Caro non emaciletur, sed neque valde diu asservetur. Tandem caro non sumatur de animali morboso.

§. 3. Morbis autem animalia domestica variis afficiuntur. Bos corripitur pesti cornutorum, i. e. typho contagioso cum inflammatione gangrenescente omasi, hepatis et lienis, morbo item ungularum, cornuum et oris. Oves corripiuntur pesti ovium, diarrhoea et dyssenteria cum typho, vermibus, variolis et hydrope. Innocui morbi sunt: inflammatio topica, vertigo et scabies. Porci corripiuntur angina putrida, morbo putrido setarum, item dyssenteria, lepra, quin imo et scrophulis malignis.

§. 4. Ut igitur solum sana animalia mactentur, ordinanda esset commissio, quae ante mactationem animalia inspiciat. Animalia quae adpelluntur, nonnisi erga certificata admittantur. Lanienae visitandae sunt. Ipsi laniones jure jurando obligentur ad summam circa carnes munditiem observandam, aestivo tempore fossas glaciales habeant. Sic et suillatoribus invigilandum est. Carnes fumatae, siccatae, sale conditae nonnisi erga testimonium admittantur. Farciminum confectio peculiarem requirit invigilationem. Laridum aere siccatum et fumatum pervestigetur, utrum non sit rancidum. Taleolae pro jusculis nonnisi sub inspectione conficiantur. In urbe nulla animalia pro alimentatione serventur, quia commotionem non habent, neque aerem liberum, quia auram destruunt et foetorem causant. Lictoribus interdictum sit saginare porcos aut divendere carnes siccatas et fumatas, quia experientia teste acceperunt carnem animalium, quae morbo perierunt, ut eorum carne porcos saginent, imo et cadavera hominum ad eundem finem converterunt. — Homines informandi sunt, quomodo caro sit optime siccanda, fumanda, sale condenda. Qui convictus fuerit de emacillata carne ab animali infirmo, aut quod morbo periit, gravissimis poenis afficiatur, sic etiam laniones emacillant, caupones, qui tales coquere audent, puniantur. De justo pondere et pretio cura habeatur.

§. 5. Vaccae, oves et caprae praeter carnem etiam largiuntur lac, e quo paratur butyrum et caseus. Curandum igitur est, ut lac adsit sufficiens, bonum, non adulteratum. Ut vaccae, oves et caprae multum lactis dent. No-

xium erit lac, quod statim post partum mulgetur, vel adulteratur farina, aqua, calce, potassa et sapone. Lac erit malum, si vacca herbis venenatis vescatur, si lac sumtum fuerit de animali morbido aut si conservatum fuerit in vasis cupreis aut plumbeis. Deteguntur hae fraudes: si farina intus est, lac confluit; si calx intus est, instilletur modicum acidi sulfurici et calx praecipitabitur; si potassa intus est, obtinentur crystalli a sulfate potassae; si sapo intus est, tunc lacte decocto, superius erunt bullulae a sebo et hoc modo cognoscitur.

§. 6. Butyrum adulteratur per adipem, cretam, farinam, arenam, cyclamina. Color flaviusculus vel croco vel calendula vel chelidonio minori inditur. Adulteratur porro sale communi, vasis cupreis vel stanneis. Fraus detegitur. creta aut arena addita, butyro liquefacto, remanet sedimentum, ita etiam farina et cyclamina; sal communis aliquot guttulis solutionis argenti instillatis invenitur. Si color adulteratus sit, charta alba tingitur; cuprum et plumbum liquore probat. Hahnemanni detegitur; butyrum rancidum corrigi potest, si pluries liquetur addita cepa.

§. 7. Caseus bonum largitur cibum, sed noxius erit, si lac, unde paratur, praemissa vitia habuerit, recens vel valde antiquus, si plane fuerit rancidus, putridus, corruptus. Ideo extranei casei nonnisi erga testimoniales admittantur. Divenditio promiscua cuicunque non concedatur. Casei foliis et floribus aromaticis nonnunquam venenatum habent naturam.

§. 8. Praeter animalia quadrupeda domestica etiam multa fera animalia bonum largiuntur cibum, si non fuerint mactata tempore oestri venerei, si caro ferina non divendatur; si illico postquam mactata fuerit fera, omnis emissus fuerit sanguis. Etiam venundatores carnis ferinae fide sint obstricti, haec omnia esse observata.

§. 9. Etiam avium multae species bonum largiuntur cibum. Aves domesticae, ut: gallus gallinaceus, anas, anser, phasianus, meleagris et columba. Aliae aves ferae, ut: phaseanus colchicus, perdix, attagen, lagopus, urogallus, lagopus, coturnix, alauda, merula, emberyza, motacilla luscinia, turdus musicus, atrica pilla, scolopax (rusticola, aquata et gallinago), cucullus canorus, loxia curvirostra et pinula, fringilla (caelebs, carduelis et carabina), sturnus vulgaris, picus, psitacus, hirundo (rustica, riparia et esculenta), pelicanus, anas mollissima, cygnus fulica, upuppa, grus, ardea, ciconia.

§. 10. Avium usus noxius est, dum plumas mutant, dum aegrotant. Gallinae, anseres et anates typho contagioso interdum laborant, columba variolis et melancholia. Nonnullarum avium caro venenata est, dum insecta et semina venenata vorant, aliarum caro nociva evadit, si castrantur. —

§ 11. Etiam avium ova bonum et salubrem cibum largiuntur, ideo cultura gallinarum promovenda, neque inutiliter ova haec dilapidanda. Valde antiqua et putrida ova non vendantur. Edoceantur homines de optima ovorum conservatione, non in stramine aut aere libero, nec in arena aut in cineribus, sed in aqua omni die renovanda. Putrida illico eliminentur.

§. 12. Praeter quadrupeda et aves bonum et multis nanationibus unicum cibum largiuntur pisces, ut: cyprius, carpio, curassius, tinca, barbus, alburnus, gobio, accipenser sturio, huso, muraena anguilla, petromyzon, salmo, salor, forio, lacustris, gadus lota, asellus, callarias, clupea harengus, encrasicolus, sepia, pleuronectes.

§. 13. Ex insectis et amphibiis commendantur: rana, testudo, gryllus, cancer astacus. — E testaceis: ostrea edulis, mytilus edulis, cochlea seu limax et helix pomacea. —

§. 14. Ostreae noxiae sunt, dum ova ponunt, praeterea Julio, Augusto saepissime cupro tectae sunt. Limaces, qui morbo perierunt, pertinacem vomitum causant, ita etiam cancri. Pisces quoque inducere possunt noxam sanitati, si e stagnis capiantur ex tali aqua, ubi canales sunt, aut linum maceratur, si ex aqua penes fodinas capiantur, si corrupti, putridi, mortui edantur, si capiantur tempore oestri venerei, si male siccati, fumati aut sale conditi fuerint. In specie autem naturam venenatam habent, tetrodon oculatum et lineatum, perca venenata, tinca, aliqui etiam huc referunt gymnotum electricum. In mercatores, qui cum piscibus quaestum exercent, inspectio habeatur, ne promiscue sanis et morbidis et venenatis piscibus quaestum exerceant.

CAPUT II.

De esculentis e regno vegetabili.

§. 15. Vegetabilia non ita nutriunt, ut caro, sed plures homines illis, quam carne vescuntur. Pars eorum tritico, secali, hordeo, avena vivit, indeque panem parat, alia pars vivit oryza, tertia pars e zea mays, et quarta ex

manyok. Cum non ex carnis, sed ex panis defectu fames oriri soleat, Reipublicae cura in id convertatur, ut sufficienti quantitate et optima qualitate materiale panis adsit. — Paratur panis e tritico, secali, hordeo et avena, in defectu horum e spelta, zea mays, fagopyro, milio, imo et leguminibus, nempe: cicere, lente, piso et faba. Tempore, famis paratur e cortice arborum, nempe: tiliae et fagi, etiam e glandibus, castaneis aut e radicibus althaeae, cyperi esculenti, ex helianthо tuberoso, e solano tuberoso, e cucurbita, imo et lichene. Nostris temporibus surrogatum panis sunt solana tuberosa.

§. 16. Ut cerealia inprimis triticum et secale sufficienti quantitate adsint: *a*) agricultura promovenda est, *b*) tempore magnae fertilitatis aliqua pars reponatur ad granaria publica, *c*) inanis frugum consumtio impediatur.

§. 17. Ut agricultura ad summum possibilem gradum promoveatur, non tantum clima et solum, sed et fimatio et terrae subactio bona esse debet. Gleba alia est valde frigida et simul humida, reparatur per canales ductos et per lapides calcareos in agro hinc inde dispersos. Valde sicca et calida terra reparatur per admixtam terram nitrosam vel per conspersionem cum potassa. Arenosa gleba reparatur, si cum argilla misceatur. Uliginosa terra reparatur per canales ductos et per vegetabilium crescentiam.

§. 18. Fimatio bona fit cum omnibus corporibus putrescentibus, *a*) per fimum seu per excrementa animalium, quae tamen recentia non sint; si recentia exrementa adhiberi deberent, fimus primum cum terra subigendus est, *b*) per vegetabilia putrida usque ad eorum consumtionem, *c*) sed excrementa hominum non tam bonum fimum largiuntur, sicut vegetabilia; interim et ista in bonum fimum converti possunt, si cum sarmentis straminis misceantur, *d*) species fimationis artificialis est cum pulvere ossium, cum terra calcarea et cum certa massa per Hollandos inventa.

§. 19. Subactio terrae quo crebrior eo melior. Pro diversa qualitate glebae jam profundiores, jam minus profundi sulci trahuntur, et quo magis terra comminuitur, eo facilius subigitur fertiliorque redditur.

§. 20. Taliter praeparata terra excipere debet semen bonum, sed semen defectuosum malumque est, si messis instituatur ante seminis perfectam maturitatem, si semen antiquum male asservatum pro seminatione sumatur, si fuerit aliis noxiis vel venenatis seminibus permixtum aut morbo corruptum. I. Messis nonnisi tunc instituatur, ubi semen jam ad maturitatem pervenit, praejudicia agricolarum vin-

cenda sunt et commissio ordinari poterit. II. Si semen non fuerit bene conservatum, plurimi morbi in cerealibus evenire possunt, aut semen alio modo seminaturae aptum non erit. In granariis semina cerealium bene conserventur, si inter animalium species non haberent inimicos mures, glires, curculionem. Semen in granariis saepe commoveri debet, atque contra injurias aeris atque tempestatum muniri. In tubis Fagotianis, si bene constructi sunt, in acervis (ut apud nos) fruges vix citra magnam jacturam conservantur. In fossis (aeque ut apud nos) pro aliquo tempore bene conservantur, si fossa loco elevato, bene exstructa, exsiccata, intus et superius stramine clausa fuerit. III. Semina alia venenata cerealibus admixta sunt: thalaspi bursa pastoris, melampyrum nemorosum, lolium temulentem, raphanus raphanistrum, bromus panicula, agrostema gittago.

§. 21. Etiam morbis adficiuntur cerealia: rubigine, gangraena, fuligine seu nigella, carie, ustilagine, carbunculo, clavo seu secali cornuto. Rubigo oritur plerumque a fungis parasitis culmen obsidentibus, atque tum frumentum dat plus furfurum quam farinae. Gangraenosum semen largitur farinam foetidam, nauseosam, quae vertiginem causat. Caries, fuligo ex pluribus oritur causis, semen convertitur in pulverem nigrum, mucosum, sanitati summe noxium. Secale cornutum oritur a variatione admodum celeri tempestatis. Aristae exrescunt in longas ungulas et semen convertunt in album et nigrum pulverem foetidum. Experientia docuit, secale cornutum avibus et porcis innocuum esse, illud quod granum album habet, hominibus minus nocere, sed violaceum, nigrum et amarum hominibus admodum nocivum esse. Panis e tali farina coctus, non abit in massam albam, difficulter fermentat, habet foetorem, est nauseosus, amarus, cardialgiam, colicam, nevrosus, raphaniam nempe seu convulsionem cerealiam causat.

§. 22. Sed etiam e bono semine mala fit farina: 1. Si in mola lapis fuerit novus. 2. Si lapis valde friabilis sit. 3. Si admodum celeriter circumagatur et inde farinam adurat. 4. Si farina fuerit conservata loco humido aut valde calido, si non fuerit saepius commota, si fuerit destructa acoro, si fuerit adulterata pulvere gypsi, terra calcarea, pulvere ossium, cerussa, cineribus.

§. 23. Etiamsi farina bona sit, panis tamen malus fiet, si malum accipiatur fermentum, cuius optima species hungaricum est, si massa male fuerit subacta, si haud satis fermentaverit, si furnus non fuerit rite praeparatus, si fuerit novus aut non proportionate calefactus.

§. 24. Si pani admixta fuerit calx, detegitur solvendo partem unam in viginti partibus aquae et affundendo acetum forte, unde effervescentia oritur vel affundendo acidum sulfuricum aut oxalicum, unde praecipatum insolubile.

§. 25. Si panis et farina gypso adulterentur, una pars coquatur in 200 partibus aquae et gypsum cadet in fundum. Si cineribus adulteretur panis, facta ejus coctione in sufficienti quantitate aquae, cineres in superficie aquae natabunt. Si pulvis ossium sit immixtus, ille ope acidi sulfurici detegitur, facta enim coctione vel charta lacmus invenietur alcalescentia. Cum alumine adulteratus panis, si in s. q. aquae destillatae solvatur, et liquor filtratus evaporatur, crystalli aluminis obtinebuntur. Resina Jalappae in pane detegitur, si ejus solutio in spiritu vini cum aqua destillata praecipitetur. Cerussa alba in pane detegitur, si ejus solutioni in aqua instilletur liquor prob. Hahnemannii. Farinam triticam adulteratam esse cum hordeo aut avena detegitur, quod crusta panis cocti innumeras fissuras accipiat. Ut farina semper recens et sufficienti quantitate habeatur, molae et aquosae et terrestres et ventosae ubique locorum erigendae sunt. Pulvis in molendinario apparatu inventus non convertatur in usum.

De oleribus et fructibus.

§. 26. Olera cruda et cocta et vario modo praeparata commeduntur, sic et fructus, radices et fungi. Attentionem reipublicae merentur, quia permutatio cum plantis venenatis possibilis est. A praeparatione noxam concipere possunt, et quum nonnulla etiam condimentorum instar adhibeantur, et sub coctione naturam benignam in malam convertere possint, peculiarem subire debent curam.

§. 27. Fructus immaturi saepe noxii sunt, etiamsi siccentur aut cocti commedantur. Sylvestres fructus etiamsi maturi et bene cocti sint, non omnibus hominibus conducunt, infirmis unquam. Ex similibus fructibus parata electuaria insipida sunt, austera, acria, causant cardialgiam, vomitum et diarrhoeam. — Cucumeres, fabae, caules, rapae aceto vel sale conditae in vase cupreo non serventur. Ut legumina bonum largiantur nutrimentum, grana matura esse debent, integra, a vermibus non erosa, non habeant admixta semina venenata, ejusdem sint qualitatis et sub coctione emolliantur. Optima sunt, quorum pellicula valde tenuis est. Grana mucida aut quae jam germinant, varias causant affectiones tubi intestinalis. Sic notandum est,

quod usus Ervi ervillae, Lathyri eicerae, Cicerae arietini, epidemias causet cum convulsionibus et colicis doloribus. Frequentissimae permutationes noxiae olerum hae sunt: petroselini cum etusa zinapium, pastinaceae cum cicuta virosa, seminis foeniculi cum semine hyosciami, vaccinii myrtilli cum atropa belladona, betae albae cum bryonia dioica, rumicis acciosae cum lactura scariola etc. Cyclamina passim apud omnes homines in usu attentionem merentur, ne sint degeneratae, lardaceae, ne crescant in locis uliginosis, ne sint immatura aut putrida, aut congelata, aut quae jam germinant. Juxta Rhau, Scherf, Nimor species illa anglica, intus cum rubris circulis et cuti tenuissima est optima. — Species duae sunt: aestiva et hyberna. Nonnullis annis ipsa herba crispa fit, et tunc cyclamina pessima sunt, si autem herba non floret, radices sunt parvae, durae, graveolentes.

§. 28. Fungi sine cultura omni tempore crescunt. Si spectentur qua materiale nutritionis, medium sistunt inter carnem et vegetabilia. Crudi, assati et conditi in usum adhibentur, miseris et divitibus gratum cibum praebent. Si partes constituentes consideremus, praeter principium animale et partet sapenaceas, plus minus oleoso-mucilaginosi, gelatinosi, quod ipsis inest, nutrimentum praebet. — Noxii fungi sunt, in quibus praevalet principium urinosum, fibrosum, qui exesi, putridi sunt semenque venenatum habent et varias excrescentias offerunt. Omnem attentionem requirunt fungi, ne cum venenatis permutentur. Dividuntur autem fungi in; agaricum (Blätterschwamm), boletum (Steinpilz), hydnum (Stachelpilz), phallum (Morchelpilz), helvellum (Faltenpilz), clavarlam (Keilpilz), lycoperdon (Kugelpilz).

De venatis sermo est in forensi.

§. 29. Ex agaricis edules sunt: caesareus, campestris, deliciosus, lactiferus, lepiota, caudivinus, mouceron, russula, alliatus, esculentus mycena, pratella, chantarellus, ostreatus.

§. 30. Ex boletis edules sunt: bulbosus edulis, subtomentosus, albidus, luteus, rufus, hepaticus, polycephalus, frondosus.

§. 32. Ex hydnis edules fungi sunt: imbricatus, hyd. repandum, hyd. erinaceum.

§. 32. Ex phallis edules sunt: morchella esculenla, morch. patula, morch. gigas. Noxia autem est: morchella impudica.

§. 33. Ex helvellis omnes fere species edules sunt. Plurimum occurrunt: helv. esculenta, hel. leucophaea, hel. mitra, helv. ramosa.

§. 34. Ex clavariis edules sunt: clav. coralloides, clav. flava, clav. botrytis.

§. 35. Ex lycoperdis edules sunt: tuber cibarium, tub. album, tub. griseum, tub. moschatum et aestivum.

§. 36. Ne igitur e permutatione fungorum periculum oriatur inspector fori constituendus est, neque cuivis homini promiscue admittendum, ut quaestum exercere possit. Magister sanitatis et fori inspector, omnes immaturos fructus confiscari faciet, olera in foro pervestigabit, et quae condita habentur investigabit, an non cuprum vel plumbum admixtum habeant. Ut autèm permutatio plantarum venenatarum cum innocuis haud facile inveniat, hortulani et qui quaestum exercent, examen deberent facere, utrum characteres distinctos noscant. Ad colligenda viridaria, radices, fructus et fungos non mittantur infantes, hebetes, sed bene gnari homines. Cyclamina noxia confiscentur. Ipse inspector fori sit vel medicus vel adminimum botanicus bonus. Ipsi homines autem inprimis plebs, populari informatione mediante circa haec per parochos et ludimagistros informentur.

SECTIO II.

De potulentis.

§. 37. Siti urgetur ad bibendum homo. Naturalis hominum potus est aqua. Sed industria humana etiam artificiales frigidos potus praeparat, qui vel nutriunt, vel digestionem promovent, vel incitant vel inebriant. Non tantum potus naturales, sed etiam (et imprimis) artificiales attentionem politiae medicae subire debent, qui vario modo inquinari et noxii evadere possunt. Sermo primo erit de potulentis naturalibus, dein de artificialibus.

CAPUT I.

De potulentis naturalibus.

§. 38. Naturalis hominum potus sicut annuimus est aqua. Aquae species sunt plures: aqua fontana, fluvialis, pluvialis, nivalis, putealis, cisternarum, stagnorum. Aqua bona fontana sequentes habet characteres: est levis, limpida, diaphana, sine colore et odore, saporis grati, reficientis, sitim cito exstinguit, cocta exiguum dimittit sedimentum, reagentia chemica nihil in ea detegunt, nisi exiguum acidi carbonici et calcis carbonicae. Omnia animalia

talem aquam libenter bibunt, nullos dolores causat in renibus, nullam diarrhoeam, nulla exanthemata, cum sapone facile spumam sine floccis causat, carni rubrum colorem non induit, legumina facile in ea coquuntur, ex vegetabilibus multum extracti facit. Aquam fontanam bonam usque ad domicilia per canales derivare suadet politia medica; canales hi non sint cuprei, plumbei aut ferrei, non e testaceis nec ex ligno, sed vel e marmore vel lapide arenoso. Canales illi non parentur admodum profunde, saepius repurgentur, non deducatur penes cloacas. et aqua deferatur ad receptacula bene praeparata et ampla.

§. 39. Aqua fluvialis, si e scaturiginibus oriatur, etiam bona est, sed mala fieri potest, si delapsus aquae non est magnus, sed admodum lente fluat, si alveus fuerit malae indolis, v. g. argillosus, uliginosus, non profundus, si in fluvium derivatae fuerint sordes e fabricis, manufacturis, aut si animalia mortua, viridaria, sarmenta lignorum injiciantur, denique si e lacubus aut paludibus ortum ducat.

§. 40. Aqua putealis pro ratione fundi putei bona vel mala esse potest, vel etiam mala fieri potest, si aeri accessus praecludatur, si non fuerit commota, aut si sordes injiciantur. Ideo ut aqua bona sit, ipse puteus bene structus esse debet. Puteus sit profundus, fundus sit arenosus aut lapidibus parvis siliceis stratus, puteus sit ita structus, ut aer liberum habeat accèssum. Aqua saepe commoveri debet. Tectum in columnis pensile habeat; arceantur sordes. Valde nitrosa aqua corrigitur sale culinari. Puteus saepe repurgetur. Si aqua turbida fuerit, repurgetur per lapidem filtrarium. — Praestat puteus cum antlia prae amphora.

§. 41. Aqua pluvialis, nivalis, glacialis minus bona est. Aqua pluvialis insuper inquinatur, si per tecta metallica et schistosa decurrat, si ex antiquis tectis ligneis destillet, si varia continuerit animalia. Mala saepe ideo est, quia destituitur acido carbonico. Ideo filtrari et longiori tempore aeri atmosphaerico libero exponi debet, ut acidum carbonicum adtrahat.

§. 42. Aqua stagnorum mala est, quia nunquam commovetur et vegetabilia putrida, atque varia insecta continet, quia vegetabilia in ea crescunt, et varia alia inquinamenta in illam confluunt. Aqua marina ad potum nihil valet. Eam usui reddere conabantur, sed omnes modi eam potabilem reddendi non respondent, praeter destillationem, quae autem vix practicabilis est.

§. 43. Aquae durae inprimis, si gypsum aut arenam teneant, causant obstrictiones vasorum lymphaticorum, lentorem sanguinis, obstructiones glandularum, inprimis thyreoideae et mesaraicarum et saepe hecticam.

§. 44. Aquae molles, scilicet quae acido carbonico privatae sunt, causant laxitatem tubi alimentaris, ejus mucositatem, sedes diarrhoicas, anorexiam, vomitum, morbos biliares, scorbutum, oedema pedum, febres intermittentes. Aqua lacuum, stagnorum putrida causat morbos epidemicos putridos pertinacissimos et fatalem illum hemitriteum.

§. 45. Qualitates aquae sequenti modo examinantur. Si adfusa aqua calcis recenti turbetur, signum est, quod excessivum acidum carbonicum teneat. Si adfundatur acidum nitricum dilutum, turbata aqua innuit, salem sulfuricum adesse. Solutio nitratis argenti innuit acidum salis. Tinctura gallarum innuit ferrum. Spirit. salis ammon. caustici innuit cuprum. Liquor prob. Hahnemanii eruit plumbum, acidum oxalicum evincit magnesiam et calcem.

§. 46. Ut aqua turbida clarificetur, in parva quantitate adhibendus est conus filtratorius e lapide arenoso factus; in magna quantitate autem adhibetur machina filtratoria; ad putealem vero aquam, puteus filtratorius. Si solum acidum carbonicum teneat solutam terram calcariam, hanc coctione praecipitare possumus et talis aqua refrigerata, aeri libero exposita, ut iterum acidum carbonicum adtrahat, bona redditur. Si sal aliquis aquam faciat malam, vel adfusa potassa vel cineribus, vel acido sulfurico repurgetur, atque sic usui accomodata redditur. Aquae putridae, ut aliquantum reparari possit, prius cum pulvere carbonum misceri, dein coqui, filtrari et rursus acido carbonico impraegnari debet.

CAPUT II.

De potulentis artificialibus.

§. 47. Sub hoc nomine veniunt illa potulenta, quae per industriam hominum praeparata et vel nutriunt, vel digestionem promovent, vel incitant, vel denique inebriant.

De cerevisia.

§. 48. Cerevisia bona potum gratum, excitantem, nutrientem et si longius hauriatur, inebriantem praebet. — Characteres bonae cerevisiae sunt: est limpida vel pellucida, fusci, vinacei vel flavi caloris, saporis subdulcis vel subamari, odoris proprii, in poculum infusa spumam facit al-

tam, densam, durabilem, sedimentum licet longiori tempore stans, non deponit, diutius asservata melior evadit, pauca quantitate ingesta reficit, magna quantitate ingesta inebriat sed sine capitis dolore, si longiori tempore bibatur, saginat, neque in stomacho, neque in tubo intestinali, neque in renibus molestat. Obtinetur bona cerevisia, si materialia, e quibus paratur, bona sint, nempe aqua pura, mollis; maltum (hordeum tostum) e cereali sano, non inquinato, fermentum bonum, mundum, lupulus non corruptus, non excessivus, coctio per justum tempus extracta, fermentatio vinosa exspectata, cerevisia recens haud epocillata, instrumenta metallica non adhibita, sed lignea et quidem bene et munde servata. — Nunquam bona coquetur cerevisia, si aqua fuerit dura aut e lacubus, vel stagnis accepta, si hordeum adhibeatur immaturum vel valde antiquum vel mucidum vel venenatis seminibus permixtum, vel quod iam geminat, si lupulus fuerit immaturus, antiquus, destructus, effetus, minori aut jam majori quantitate additus, si fermentum valde debile aut jam acidum aut alio modo destructum adhibeatur. Mala porro erit cerevisia, si in coctione errores commissi fuerint, si hordeum non bene humectetur, non fermentet, si coctum idem non bene siccetur, torreatur, comminuatur, si coctura justo tempore non fiat, si ejus aroma non juxta proportionem praeparetur, si sufficiens fermentum non addatur, fermentatio non sufficienter continuetur, si vasa non fuerint munda, bona.

§. 49. Adulteratur cerevisia, dum in locum lupuli adhibentur: folia tanaceti, lignum quassiae, carduus benedictus, gentiana, trifolium, papaver. In locum aromatum solent accipere flores lavandulae, semina coriandri, baccas juniperi. Ad augendam vim inebriantem admiscent lolium temulentum, ledum palustre, veratrum album, hyosciamum, stramonium, asarum europeum, juniperum et sabinam. Ad clarificandam cerevisiam adhibetur ichtyocolla, aluamen ovi, lac vaccinum, gluten commune. — Ad aciditatem cerevisiae corrigendam addunt calcem, cretam, gypsum, salem culinarem, potassam, sacharum saturni. Si epocillatio cerevisiae fiat instrumentis metallicis ut cupro aut plumbo, cerevisia facile induit naturam venenatam.

§. 50. Si cerevisia non sit bona, variae morbosae affectiones oriuntur. Cerevisia a malis speciebus turbida, nauseosa, valde amara et admodum dulcis, stomachum destruit, pituitam causat, vomitum et favet vermibus. Cerevisia non satis fermentata causat dysuriam, ischuriam, dolores colicos. Cerevisia acida causat pyrosim, cardialgiam, colicam

et vomitum pertinacem; ob herbas admixtas venenatas, cerevisia causat intoxicationes, a substantiis animalium inquinata cerevisia producit indegestionem, saburram, febrim putridam, choleram spasmodicam. Cerevisia edulcorata per sacharum saturni, colicam saturninam causat. Si casualiter cupro inquinata est, oriuntur tormina, vomitus biliosus, diarrhoea pertinax, enteritis et alii inflammatorii morbi. Ut igitur de cerevisiae bona qualitate constet, inspectores coctionum ćerevisiae ordinandi sunt, qui ante coctionem cerevisiae investigabunt partes constituentes ingredientes, coctam cerevisiam gustabunt, tentabunt, ipsa vasa et utensilia pervestigabunt.

§. 51. Deteget autem inspector adulterationes cerevisiae, et quidem si cerevisia correcta fuerit calce, creta, gypso, ad effusionem solutionis kali carbonici effervescet, sedimentum exorietur, et inspissata dabit selenitem cum acido sulfurico. Si adulterata fuerit potassa, urinam valde pellit, purgat; si ei adfundatur solutio nitratis plumbi, dabit nitrum prismaticum et insuper saturnus detegetur. Sal culinaris proprium indit odorem et sitim causat, adfusa solutione nitratis argenti, praecipitatur luna cornea (Hornsilber) et liquidum inspissatum dabit nitratem natri. Plumbum stipticum causat saporem, adfusus liquor prob. Hahnemannii cerevisiam nigrat. Cuprum per adfusam solutionem salis ammoniaci caustici cerevisiam coeruleam reddit.

§. 52. Ut igitur optima cerevisiae qualitas habeatur, coctio non cuivis promiscue, sed solum artis perito concedatur. Coctores puniantur adulteratores, et jure jurando obstringantur. De qualibet coctione inspectores aliquot vascula obsigilent, ut investigatio chemica fieri possit.

De vino.

§. 53. Vinum est antiquissimus, nobilissimus et moderate sumtus gratissimus, saluberrimus sanis et infirmis potus, et senibus ad conservandam sanitatem et vitam summe necessarius. Sed quia ejus abusus et ob lucri cupidinem adulteratio, magnas oeconomiae animali nostrae noxas adferre potest, omnem reipublicae attentionem meretur.

§. 54. Ut sufficienti quantitate adsit vinam bonum, vinearum cultura promovenda est. Homines edoceantur optimam methodum vini propagandi et conservandi, vel simul etiam edoceantur adulterationes vini cognoscere.

§. 55. Vini bonitas in genere dependet a solo seu gleba, ubi crescit, a situ quem vinea habet, a bona vitis

specie, a debita vinearum cultura, a bona vini praeparatione, bona asservatione et a cura, ne adulteretur.

§. 56. Pro vineis gleba optima est calcarea, dein arenaria, postea mixta, pessima est argillacea, uliginosa. Optimus situs est meridiem versus, aut meridiem et occasum versus, ad pedes montium, prepe ad lacus, pessimus in planitie. Relate ad speciem vitis optima habetur in Graecia, dein in insulis maris mediterranei, ex Italia, Hispania, Gallia, Hungaria et Germania meridionali.

§. 57. Effectus vini boni in genere sunt: activitatem omnium organorum cito incitat, vires corporis restaurat, animum exhilarat, senibus vicarios dat stimulos, sanitatem conservat, et hominem tuetur contra influxus multos et injurias aeris athmosphaerici. Sed praeter hos effectus generales, nonnullae vinerum species etiam speciales exerunt effectus. Nonnulla vini ínprimis salutaria sunt organis digestionis, ut vina gallica, Burdigalensia, Burgundica. Alia agunt valde bene in organa uropoetica, ut Rhenanum, Austriacum, etiam aliquot hungarica, ut Pestanum. Nonnulla vina in fibram muscularem agunt, tonum ejus restituendo, uti: Malaga, Budense, Villanense, Szexardiense. Aliae species vinorum transitoriam exhilarationem procurant, uti: Campanense. Nonnullae species systema nervosum paccatum reddunt et una etiam confortant, uti Tokayense, Madeira, Frontignanense. — Antiqua bona vina praeter communes partes constituvas, possident principium mucilaginosum, saccharum, spiritum, tartarum, principium vegetabile tingens et taninum. Secundum variam harum partium constitutivarum proportionem, ipsa vina variam indolem habere solent. Sunt nempe vina spirituosa, fervida, ignita; in his alcohol eminet. Sunt alia dulcia, in his principium sacharaceum praevalet acidum gallarum, tannini. Vina profunde rubra abundant principio tingente. Alia demum vina aerata compellantur, quia excedunt gase acido carbonico et quidem ín statu libero.

§. 58. Ut vinum bonum producatur, sequentes regulae observentur: Optima species vini elegatur, et quidem talis, quae relate ad clima et localitatem cito maturescit. In uno eodemque promontorio plures vitis species, quae diverso tempore maturescunt, non plantentur, imo non colligantur ante perfectam maturitatem. Intra vineas arbores aut aliae plantae non colantur. Proxime ante vindemiam folia densa lustrentur, racemi terrae vicini sursum ligentur. Ubi fieri potest, vindemia differatur, donec baccae rugas contrahant. In collectione botrorum immaturae baccae rejiciantur. Ne vinum acidum, austerum fiat, baccae a racemis peculiari instrumento

avellantur. Mustum, quod propria gravitate destillat, optimum dabit vinum. In torculari, ne fortiter comprimantur botryones, quia a pressis racemis et staminibus vinum fit austerum. Vinum non diu super pelliculis baccarum racemis et staminibus relinquatur, e rubris botris etiam album parari potest vinum, si pelliculae, quae principium tingens continent, amoveantur.

§. 59. Fiunt autem cum vinis innumerae adulterationes, quae plus minus sanitati nocent. Vina juniora plerumque pallida sunt. Ad conciliandum proinde colorem profundiorem admiscent sacharum adustum, aut vinum impraegnant vaporibus sulfuris. Primum quidem innocuum est, aliud tamen plerumque pectoris, capitis dolores et orgasmum in sanguine causat. Nonnunquam autem massa tota, quam „Einschlag" vocant, arsenicum continet, unde vinum naturam venenatam acquirit. — Cognoscitur sulfuris praesentia in vino, si polita argentea lamina imposita nigrescit, vel si solutio nitratis argenti instilletur et praecipitatum fit nigrum. Ad profundiorem rubrum colorem vinis conciliandum varia adhiberi solent, uti: succus vacinii myrtilli, baccarum sambuci nigrae, decoctum ligni campechiensis, succus phytolaccae decandre. Ex his alia vinum nauseosum, alia ad putredinem pronum reddunt, alia demum obstipationem alvi rebellem causant. Cognoscitur dolus, quia ad fundum et latera vasorum pigmentum illud deponitur, atque si alba supellex inquinetur, nulla ratione color exit. — Vina rubra austera reddere solent per adjectum alumen, per extracta plantarum adstringentium. Similia additamenta varios producunt morbos intestinorum et glandularum mesaraicarum. Alumen vinis rubris laetiorem tribuit colorem, dulciusque illud efficit. Cognoscitur aluminis praesentia in vino, si hoc inspissetur, dein cum aqua coquatur adjecto prius pulvere carbonum. Perinde pigmentum destruitur. Liquidum dein evaporetur, sub evaporatione cuticula enata, ubi refrigerationi exponatur, crystallos aluminis dat. Sed potest etiam alumina praecipitari ex vino per additum kali carbonicum vel adfusa solutione acetatis barytae, liquidum in acido sulfurico depuratum a tartaro, iterum dabit alumen.

§. 60. Ut vinum debile fortius reddatur, adulteratores admiscent vinum aliud generosius, quod innocuum, sed plerumque alcohol vini addunt, quod nulla ratione ferendum est, nam maxime nocet, ingentes capitis causat dolores, varias nervorum et pectoris affectiones. — Delegitur hoc simplicissima methodo, si aliqua portio vini inter palmas ma-

nuum teratur, vinum genuinum retinet odorem vinacenm, sed si alcohol immixtus est, odorem spiritus vini spagit.

§. 61. Ad vini copiam augendam adfundunt aquam. Si aqua pura fuerit, debilius redditur vinum, si aqua impura e. g. nitrosa fuerit, vinum paulo post destruitur. Uti acidum vini corrigatur, addunt cretam, terram calcarem. Detegitur fraus, si sedimento affundatur acidum sulfuricum, unde prodibit gypsum, adfuso acido oxalico diluto oritur praccipitatum, quod ad candescentiam ustum, sistet calcem ccusticam.

§. 62. Ad dulcedinem vino impertiendam adhibent sacharum saturni. Plerumque pars una in fundo remanere solet, sapor est dulcis, linguam et os constringens. Ejusmodi vinum adfuso liquore prob. Hahn. nigrescit et si affundatur acidum salis vel sulfuricum, sedimentum exoritur album, quod cum pulvere carbonum ei kali candescentiae expositum, reducitur in plumbum regulinum.

§. 63. Inquinatur porro vinum casualiter ferro, cupro, bismutho, arsenico a vasis vel ab ca massa, quam nominant „Einschlag" (medicamen). Hacc omnia deteguntur per liquorem prob. Hahn. vel per liquorem Beguini.

§. 64. Parantur etiam alia vina ex fructibus, pomis, piris, uvis passis vel ex melle. Hacc plerumque aliunde deferuntur et adulterata sunt, inprimis autem vinum e pomis et piris confectum (Ziderwein) morbum similem colicae pictorum causare solet. Vinum e melle paratum choleram inducit. Vinum campanense paratur dum mustum fermentationem plenariam non absolvit. Sed paratur etiam e succo betulae vitis apyrenae cum stercore columbarum addito.

De spiritu vini.

§. 65. Hic potus pro misera plebe ad reficiendas vires necessarius est. Paratur ex omni substantia, quae principio sacharacco abundat, et hinc juxta materiale, unde paratur varia solet habere nomina, uti: rhum, arak, spiritus vini, frumenti, fructuum etc. Crematum malum redditur per praeparationem, per adulterationem et per casualem inquinationem.

§. 66. Sub praeparatione potest crematum fieri adustum, mucidum, aquosum. Cognoscitur ex odore, num sit adustum, ex sapore, num sit mucidum; aquae praesentia per hygrometrum cruitur. — Ad fervorem procurandum et acrimoniam solent addere piper, capsicum, lolium temulentum, amygdalas amaras, stramonium, holoturium, folia lauro-cerasi. Sed etiam venena mineralia spiritui vini inesse possunt, uti:

plumbum, cuprum, arsenicum, ferrum suo modo detegenda. Et coctio cerevisiae et cremati magnam cerealium quantitatem consumunt, in hoc Respublica praecipue tum attendere debet, dum penuria frugum adest vel instat.

De potibus calidis artificialibus.

§. 67. In usu quotidiano sunt: Thea, Caffea, Ciocolata, Punsch, Bischof, Krampampuli, Conjak.

§. 68. Thea chinensis dicta duplicem habet speciem; datur enim thea bohea (fusca) et thea caesaria (viridis). Moderate sumta thea respirationem suppressum revocat, leniter reficit, nervisque gratum praebet stimulum. E quotidiano tamen usu inprimis largiori, multa sequuntur mala, adficit nempe systema nervosum, causat agrypniam, sanguinis orgasmum, cephaleam, susorem nimium. Si thea hollandica debiliter cocta quotidie et magna copia bibatur, digestionem laedit, visum debilitat, menstrua admodum magna quantitate provocat, fluonem album causat. Sed etiam adulteratur thea hoc modo, siccatur in laminis cupreis, adservatur in pyxidibus plumbeis, ad Hollandiam plerumque effeta adfertur: vel aqua marina tincta est, vel varias alias herbas admixtas habet. Surrogata bona sunt: melissa, veronica, folia rosae spinosissimae, folia fragariae vescae.

§. 69. Caffea nostris temporibus potus quotidianus, bonas et malas habet qualitates. Bonae qualitates sunt: exstimulat grate, sanguinis motum accelerat, reficit, et alio respectu est alexipharmacon, cum lacte etiam nutrit. Sed si magna quantitate et fortiter cocta saepius bibatur, causat agrypniam, tumorem artuum, fluorem album, haemorrhoides, anomalias menstruationis, disponit ad abortum, ad apoplexiam. — Medici multum disputant de noxiis aut bonis qualitatibus caffeae. Influxus noxius vel salutaris dependet a quantitate granorum, a modo praeparationis, ab admixtis et ab ejus usu moderato vel immodico. Optima species caffeae est Levantica, Mocca dicta. Huius grana sunt viridia, gravia, explicita, matura, non exesa, suo tempore collecta, sicco loco asservata. Illa caffea, quae dicitur Sultan non est vera caffea, sed sunt folliculi tosti caffeae. Mala est omnis species caffeae, cujus grana magna admodum, levia, profunde viridia, fusci vel flavi coloris sunt, quae rancida, immatura, aqua marina tincta, exesa sunt, et adstitium habent odorem. — Relate ad praeparationis modum notandum est, ne torreatur caffea ultro quam ad colorem fuscum, ne libero aeri exposita torreatur, ne in instrumento cupreo

fiat tostio, haecque continuetur donec grana sudare incipiant, ante refrigerationem non aperiatur, et calida adhuc grana ne emolliantur. Lis inter homines est, utrum infusum caffeae decocto sit praeferendum, utrum diutius coctum praestet et utrum melior sit semper recenter cocta caffea. Sed certum est e principiis medicis eum, qui reficiendis viribus studet, saturato infuso ali, sed eum, qui de amaro caffeae principio aliquid exspectat, hujus decocto ali; omnem in casum autem praestare caffeam semper recenter coctam. In cupreis vasis praeparata caffea jam saepius venenatum monstravit naturam. Valde fortis caffea velut acida est, ita tantum bibatur in casu intoxicationis cum opio. — Nonnulli putant caffeae surrogata necessaria esse, quia consumtio magna, adeoque et pecuniae ad alias regiones delatio magna est, quia etiam pauperiores ad eam acquirendam multum impendunt, et quia surrogata veram caffeam aemulantur. Illa surrogata quae principio oleoso-mucilaginoso-sacharaceo abundant, juxta nonnullorum opinionem optimum praebent surrogatum, ut: grana hordei, oryzae villosae, glandes quercínae, faginae et castaniae dulces. Magis valent radix cichorci, cyperi esculenti, betae altissimae. — Putant alii optimum surrogatum caffeae incsse daucae carottae. — Illa autem caffeae species, quae vocatur „Surrogat-Kaffee" et e variis radicum speciebus composita est, ac sub nomine „Gesundheits-Kaffee, Schweizer-Kaffee" venditur, nihil valet, quia partes constitutivas ignorantur et de salutari effectu nullum adest testimonium.

§. 70. Ciocolada paratur e fabis Cacao cum saccharo et variis partibus animalibus, est potius nutriens, reficiens, et grate stimulans, si aromata excessive non fuerint addita. Imo et infantibus atque infirmis conducit, si radix salep, pulvis Lichenis aut farina avenae addatur. Nihil valet faba Cacao, si rubella, albis punctis referta, erosa, rancida aut suo butyro privata est. Damnandus est mos illorum, qui ad massam Ciocoladae admiscent gummi tragacanthae, pinguedinem et pulverem e quercinis aut faginis glandibus. Ideo Ciocoladae confectores fide obstringendi, eorumque fraudes strenue puniendae sunt.

§. 71. Potus Punsch vires restaurat, diaphoresim promovet, cum vitillo ovi etiam nutrit, moderate sumtus. Sed malum erit Punsch (Calda anglica), si in locum succi citrici accipiatur sal essentialis tartari aut aliud acidum minerale, corrosiones nempe sequuntur, vomitus, diarrhoea. Si autem Arak vel Punsch non est bonae qualitatis aut justo plus fuerit acceptum, causantur dolores capitis et tremores

artuum. Praeter hoc, ut Punsch bonum sit, admodum dulce esse debet.

§. 72. Ceteri calidi potus, ut: Bischof (vinum aurantiatum) ex rubro vino cum tostis quoad corticem pomis aurantiorum, saccharo, caryophyllis et nuce moschata, gratus potus est, tempore hyberno in itinere parce suntus.

§. 73. Krampampuli ex deflagrato spiritu vini, in quo saccharum solutum est, magis joci causa, quam ob exspectatam utilitatem sumitur.

§. 74. Potus gelati frigidi aestivo tempore in regionibus calidioribus summe necessarii. Salutarem eorum effectum exspectare possumus, si partes constitutivae bonae qualitatis et justa proportione sumtae fuerint, si eorum abusus aestuante corporum non contingat. — Huc referimus: Limonade, succos fructuum, aquam glaciatam.

SECTIO III.

De condimentis.

§. 75. Haec sunt substantiae solidae vel fluidae, quae esculentis ad corigendum saporem vel ad corrigendos defectus vel ad augendam digestionem vel solum gratiae causa adjiciuntur. Alia sunt domestica, ut: cepa, allium, majorana, pyrethrum cuminium, carvum, anisum, juniperus, capsicum, sal, acetum atque mel. Alia exotica sunt. Sed tum domestica, tum (et inprimis) exotica attentionem publicam merentur, tum quia plerumque lucri studio adulterantur, tum quia in se noxia esse possunt.

§. 76. Acetum productum est substantiarum organicarum, quae in gradu vinosae fermentationis ita mutantur, ut vim inebriantem, haud tamen saepe vim excitantem perdant; aciditatem et plerumque vim inebriantem induunt. Species aceti sunt: e vino, cerevisia, frumento, leguminibus, fructibus, lacte, melle et ex acidis mineralibus. — Optimum acetum tantum e bono vino paratur, debet esse coloris flavelli vel rubelli, diaphanum, odoris valde suavis, valde acidum, valde fluidum, inter digitos tritum, nec spiritum vini, nec cerevisiam redoleat, non sit mucidum aut vaespidum, coctione fortius redditur et uncia una ejusdem saturare debet 28—30 grana kali.

§. 77. Adulteratur acetum ut fortius appareat, capsico annuo, certice mezerei, pyrethro, granis paradisi, mineralibus acidis et sale esentiali tartari. Sed cognosci potest adulteratio. Degustatum nempe longo tempore relin-

quit in labiis ardorem, ruborem; si aceto vini aliud acetum e. g. cerevisiae adfusum fuerit, spumam agit aut multas projiciet bullas; si acetum, cui acetum e fructibus admixtum fuerit, atque ad siccatatem inspissetur, kali residuum manebit. Adjectum aceto acidum sulfuricum statim cognoscitur per instillationem solutionis acetatis plumbi. Adjectum acidum muriaticum detegitur per solutionem nitratis argenti. — Ex asservatione aceti in vasis cupreis, plumbeis, venenatam inducit naturam. Haec metalla deteguntur per liquor. prob. Hahnemanni.

§. 78. O l e u m paratur, in Gallia, Italia, Hispania, Graecia ex fructibus oleae arboris. Oleum noxium fieri potest per malum praeparationis modum, per casualem vel voluntariam adulterationem. Optima species olei habetur Aquis sextiis (Aix), in provincia Galliae, in magno ducatu Florentino et horum species iterum alia est: „oleo rosso" et „inbianchito al sole." Oleum commune Genuense vocatur „Mangiabile", secundum autem pressione paratum vocatur oleum „bianco-naturale", demum est tertia species parata expressis fructibus, qui in arbore diutius relicti sunt. Rarissimum est oleum viride, quod ex immaturis et destructis fructibus paratur.

§. 79. Mala consuetudo est in parando oleo olivarum per expressionem calidam, multum quippe tum mucilaginis continet et facile destruitur. Oleum praeterea destrui potest ipso torculari, quod non est bene factum aut immundum. Vasa, in quibus per mare transportatur oleum, vel adhibentur e pellibus, vel e lignis, quae prius bene praeparata sint — sed et sponte fit mucidum oleum, acidum quippe in illo peculiare generatur.

§. 80. Reparatur oleum, si ex illo praecipitatur mucilago et per pulverem carbonum filtratur. Malum est asservare oleum in vasis cupreis vel plumbeis, imo et stanneis. Solent praeterea genuino oleo aliarum plantarum oleum, aut viliorem speciem admiscere.

§. 81. A r o m a t i c a e x o t i c a ad gratiam alimentis cenciliandam magis valent, quam aromata indigena. Sed organismum magis afficiunt. Plerumque destructa adferuntur et in commercio adulterantur.

§. 82. A m y g d a l a e, malae sunt rugosae, erosae, rancidae, mucidae atque si multa amara semina contineant vel nucleos persicorum.

§. 83. C a p p a r i s immatura nigra, valde mollis, in cupreis vel plumbeis vasis asservata mala est. — Z i n g i b e r vermibus erosum, argilla adulteratur aut pulvere Fernam-

buco permixtum, malum est. — Cinnamomum vel aliis corticibus permiscetur vel extracto oleo essentiali fere insipidum redditur. — Nuclei Cacao rancidi, exesi, leves, mucidi aut valde exsiccati mali sunt. — Semina piperis vel destructa, exesa vel immatura vel valde antiqua, sole excocta, friabila vel aqua marina macerata vel cerusa alba conspersa non adhibeantur. — Cariophylli vitiosi sunt, si oleum esentiale extractum sit, quin et artificiales Caryophylli sunt, nempe e gummi tragacantha, corticee panis et tinctura caryophillorum. — Crocus, cujus species praecipuae sunt: occidentalis (crocus austriacus) et orientalis. Adulterari solet carthamo tinctorio, calendula officinali et filamentis carnium siccatarum, fumatarum. — Nux moschata adulteratur perinde, quod destillatione aut affusione spiritus vini privetur aromate. Sed etiam parantur nuces moschatae artificales e gummi tragacantha, sebo cervino et floribus macis. Detegitur si aqua solvatur, tunc enim sebum in superficie natat. Maximam adulterationem autem subeunt aromata, si jam pulverisata vendantur. Per ipsam pulverisationem arena avolat; investigatio talium pulverum difficilis est, vix non semper calces plumbi admixtas habent. —

§. 84. Mel adulteratur adfusa aqua, perinde redditur valde fluidum, vel admixta farina, unde valde spissum et non transparens redditur, vel melle sylvestri et tunc habet odorem terebinthinaceum. Nonnunquam mel a plantis venenatis venenatum est.

§. 85. Saccharum praefertur melli et largitur dulcedinem gratiorem. Species sacchari plures sunt: Prima est Moscovade, prima inspissatione et crystallisatione paratur, dein est non purificata species, Madeira; tandem est saccharum purificatum. Post primam inspissationem remanet peculiaris massa syrupiformis, quae dicitur Melasse, multum continet principii mucilaginosi, parum sacchari et quoddam acidum, secus fusca est massa et dulcis. Omnes hae species viliores causant acidum primarum viarum, mucum intestinis, cardialgiam et quamdam cholerae speciem. — Admiscetur saepe saccharo purificato calx vel sanguis boum majori quantitate et tunc fit vel valde durum vel rubellum; saccharum etiam destrui solet per carnem. Syrupus sacchari, si non bene asservetur, fermentare incipit, in acidum convertitur. Si syrupus talis asservetur in vasis metallicis, venenatam naturam induit. — Novissimis temporibus ob albédinem pulchram saccharo impertiendam adhibent alumen. — Demum ex saccharo fiunt diversae conditurae, dulciaria et

bellaria, quae attentationem merentur tam propter massam ex qua fiunt, tum propter colorem, quo tinguntur.

§. 86. Sal communis generi humano et animalibus summe necessarius est contra putrescentiam, ad majorem solubilitatem procurandam, ad exstimulationem ventriculi, ad meliorem digestionem et humorum crasim. Species plures habemus: Sal gemmae ex montibus excisus; sal coctum evaporatione praegressa graduatione aquae salsae et crystallisatione; sal marinum ex aqua marina. Characteres boni salis sunt: crystalli sunt quadrangulares conicae, in aere libero sal non diffluit, non fatiscit, coloris est albi, saporis proprii, in igne crepitat, dissilit, aqua et calida et frigida aequabiliter solvitur, sedimentum dat nullum, ejus solutio est diaphana. Sed adulteratur sal communis gypso, quod eruitur, si solutio muriatis barytae adfundatur. Si sal talco adulteratus fuerit, cum natro coctus dat praecipitatum terreum. Num sale Glauberi aut amaro inquinetur, cognoscitur ex sapore, et quod in aere libero fatiscat, probatur autem per solutionem muriatis Barytae. Sal si coctus sit, in vasis cupreis aut plumbeis, venenatam naturam induit, quae per liquorem prob. Hahnemannii detegitur.

§. 87. Necessarium igitur est, ut circa condimenta inspectio habeatur, sed inspectores et mercatores debent illam scientiam nosse, quae vocatur Waarenkunde.

Theses defendendae.

1. Cognitio Politiae Medicae absque ea Forenses esse nequit.
2. Politia Medica altior Medicinae ramus.
3. Medicus omnis, imprimis Forensis Chemiae, imbutus sit oportet.
4. Potus naturalis artificiali semper praeferendus.
5. Decoctum caffeae infuso praeferendum.
6. Surrogatus caffeae carere possumus.
7. Intemperentia uberior quam inopia morborum fons.
8. Scholam novissimam eggressi Medicinam faciunt experimentalem.
9. Cor parvum plerumque cardiopalmo laborat.
10. Turbationes functionum cordis et vasorum, aliorum potius quam propriorum morborum signa esse solent.
11. Hahnemannii methodum espectatricem nonnunquam cum fructu exercent.
12. Felicior medicus cunctator quam audax.
